

fratris Martini Lutherii, qui, ut noscet, magnos tumultus in Germania excitavit, multosque nobiles fautores habet, ac nudius quartus hic venerat ab Imperatore accersitus fide data a nullo ipsi vim faciendam, sed ut tuto cum vellet et quo vellet recederet. Pridie vero ejus diei quo hic veni, sicut Martinus eorum Imperatore ac Electoribus omnibus ibi interrogatus Imperatoris nomine, an omnia ea opera quæ sub ejus nomine circumferebantur fuissent ab eo edita. Respondit scire se velle quaenam ea essent opera quæ ejus esse dicerentur, nam facile fieri potuisset ut aliqua non sua sibi essent adscripta. Continuo lectus est index eorum operum; quo perfecto, asseruit ea omnia opera a se edita fuisse. Tunc item, interrogatus an se affirmasset ut vera omnia ea esse asseveraret quæ in his operibus scripserat, respondit se nolle

128* statim ad eam pernunciationem respondere; sed tempus idoneum sibi daretur quo cogitare secum posset, ac animo pensare quæ in illis scriptis continentur. Excepit Imperator, cum quidem neque id mereri neque equam rem petere, an cum dudum probe nossel quam ob causam accersitus esset, commodum jam tempus habuisse cogitandi ac pensandi quæ vellet, attamen pro sua humanitate, se ad crastinum rem differre eademque diei hora revertentur. Abiit Martinus, ac, cum rediisset hora constituta, multa verba fecit coram Imperatore et teutonicis. Summa vero fuit illius orationis, invehi in Romanum Pontificem ac romanam curiam, insuperque aderere Constantiense concilium quo Joannes Hus damnatus fuerat errasse, maleque ea tunc decreta fuisse contra Joannem Hus, seque in ea sententia perseveraturum donec convinctus esset rationibus aut auctoritatibus Sacrae paginae. Dismissus est ab Imperatore, summoque mane posterioris diei Imperator cyrographo quodam propria manu conscripto, in quo se natum dicebat a regibus Catholicis ac christianissimis Imperatoribus, proindeque se a maioribus suis degenerare nollet, Martini haereses omnibus viribus oppugnaturum esse, suppliciumque sumpturum de omnibus qui ei faverent, adeo ut neque regnis, neque vita esset parciturum; eamque syngrapham Electoribus proposuit. Electores tempus petiere quo consultare ac decernere de ea re possent. Sæpius vero postea ad Imperatorem reversi videbantur assentiri Imperatoris decreto, verum multis exceptionibus adhibitis; sive res adhuc in dubium vertitur, nihilque certi deeretur est. Verum, Imperator videtur animum affirmasse contra Lutherum, nec immerito. Namque admodum a multis accepi, in eam demen-tiam et eum furorem vir iste deuenit, ut rejiciat de-

creta Conciliorum; dicat a quolibet laico confici posse sacramentum Eucharistiae, matrimoniumque dissolvi posse, fornicationem simplicem peccatum non esse, ac innuit mulierum illam comunitatem de qua Plato in sua Republica. Omitto ea quæ dicit de confessione et Eucharistia. Nocte qua eum secuta est diem quo Lutherius dimissus est ab Imperatore, in valvis templi episcopalibus affixa est syngrapha qua quatuorcentum nobiles simul cum innumeris vilioris notæ interminabantur initus qui contra Lutherium essent, eosque ad arma provocabant, præsertim episcopum Maguntinum in quem maxime invehabantur. Profecto, si Lutherius hic moderatus ac prudentius agisset, neque tam erronea ac pia tetigisset, sed in prioribus illis perstitisset, totam Germaniam sibi adscrivisset; ea est erga eum insanientem Germanorumque plurimorum propensio, ac valde vereor cum videam hominem se affirmasse, neque ulla ratione, neque metu, neque præcibus posse sententia dimoveri, nam quam primum discesserit Imperator et conventus hic principum dissolutus fuerit, magnos tumultus excitet in tota Germania, non sine maximo dispendio episcoporum ac totius cleri Germaniæ, nec non cum jactura christianaæ religionis, adeo multos intelligo hujus factionis esse, qui rem hanc armis foyent, contra quos video nullum audere lusari, passim in hac urbe ejus libri venduntur, quamvis et Pontifex et Imperator hic agens id fieri vetuerint. Intra domesticas parietes principum maximos et quam plurimos habet fautores. Nescio quorsum res evadet; sed timeo eventum. Ego hominem neque allocutus sum, neque vidi. Miraberis fortasse, cum scias me idque maxime cupere; verum ratio temporum sic exigit, tanta contentione res hæc tractatur; sed quantum intelligere potui, Martinus hic expectationem omnium fere fecellit. Nam, neque vitæ integritatem, neque prudentiam ullam præ se fert; disciplinarum est ignarus, adeo ut nihil egregium habeat præter imprudentiam. De Martino haec tenus. Ego domi moratus sum quatuor totos dies, nam, propter varias ac multiplices germanicas occupationes, Imperator me audire non potuit. Demum, die XXV hujus mensis divo Marco dicata, circiter horam nonam post noctem medianam, misit Imperator nobilissimos viros hispanos, regios inquam consiliarios omnes taraconensis negotiis præfectos, qui me domo deducerent ad se visendum. Quibus comitanibus, nec non Franciseo Cornelio oratore, pompa satis celebri regiam adii, insessis equis, ubi descendimus. Invenimus omnes milites custodiæ Regis prepositos a valvis regiæ usque ad Regis cubiculum di-